

10.

Gyulaféhérvár (Alba Iulia), Bathyanum, R. I. 105, ff. 68v–70r (A)¹
= „Liber Demetrii de Lasko”, Šibenik, Samostan sv. Frane, Cod. 10, ff. 86r–87v (L)

[De sancto Ladislao rege]

(1) (68v) „**Crevit Samuel et Dominus erat cum eo**” Primo *Reg.* 3^o (19). – In verbis istis beatus Ladislaus commendatur a tribus, videlicet:

a virtutum habundancia,² cum dicitur: „**Crevit**”,

a persone reverencia,³ cum additur: „**Samuel**”,

et a sanctitatis excellencia, cum subiungitur: „**et Dominus erat** (69r) [**cum eo**].

(1.1) Primo, inquam, commendatur a virtutum habundancia, cum dicitur: „**Crevit**”. Crevit autem beatus Ladislaus tripliciter:

(1.1.1) Primo corporali pulchritudine sive fortitudine, ut merito de ipso dicatur illud, primo *Regum* VIII^o (recte: 9, 2): „Erat, inquit, Saul electus et bonus, et non erat vir de filiis Israel melior illo. Ab humero enim et sursum eminebat super omnem populum.” „Fuit enim ipse nimium fortis et visu desiderabilis, secundum leonem magnas habens extremitates. Statura procerus ceteris] hominibus ab hu[mero et sursum] eminens, ita quod exub[erante in ipso] donorum plenitudine ipsa quoque corporis [species] imperio dignum declararet.”⁴

(1.1.2) 2^o crevit in doni sive dati multitudine ita, ut dici possit illud, I *Paral.* (29, 3): „[Au]rum et argentum do in templum Dei [mei.]” „Omnes enim ecclesie et monasteria regalia [sive ab ipso], sive a quocumque [alio] fundata elemosinis [eius et] denariis sunt locupletata. Unde usque in hodiernam diem elemosinas eius narrat omnis ecclesia Hungarorum.”⁵ „Erat quippe magnificus et munificus secundum nomen suum gloriosum.”⁶ Nam si ethimologie nominis eius alludamus,⁷ Ladislaus, quasi laus danda divinitus populo dicitur.⁸ Prima vero sillaba nominis eius laus est per paragogen,⁹ dosis autem dans vel datum sive dacio, laus vero populus¹⁰ interpretatur.”¹¹

(1.1.3) Tercio crevit in martirii desiderio sive fervore¹² revolvens in animo illud *Math.* X, (38): „Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.” Unde: „Iturum se voverat Ierosolimam, ubi sanguis Domini nostri Iesu Christi effusus est, ibi et ipse contra inimicos Christi sanguine suo dimicaret, quem duces Francorum et Alemanorum, qui Terram Sanctam cum exercitu suo erant profecturi, omnes pium regem Ladizlaum¹³ dignum ducem ac preceptorem sibi preficere concorditer disposuerant. Sed interim urge[n]te necessitate

¹ Bathyanum, R. I. 105: miscellanea ad usum praedicatoris saec. XIV/2, originis Scepusiensis (Hungaricae Septemtrionalis). Šibenik, Samostan sv. Frane, Cod. 10: miscellanea Demetrii de Lasko in schola Varadiensi mon. OSB (Pécsvárad), a 1435. – (Madas–Horváth 2008, 144–152.) – Textum Cod. R. I. 105 (A), cum necesse erat, ope textus Demetrii de Lasko (L) correxiimus.

² **L** habundancia] **A** opulentissima

³ **L** a persone reverencia] **A** appellacione reverenda

⁴ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 17–21.

⁵ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 8–12.

⁶ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 13–14.

⁷ **L** alludamus] **A** allaudamus

⁸ **L** dicitur] **A** Dei

⁹ **L** per paragogen] **A** per anagogen

¹⁰ **L** populus] **A** talis

¹¹ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 516, 8–13.

¹² **L** fervore] **A** dulcedine

¹³ **L** Ladizlaum] **A** laudaverunt error scriptoris

beatus rex Ladizlaus contra Bohemos in expedicionem est profectus. Ibi repentina egritudine correptus convocatis regni principibus indicavit dissolucionem corporis sui inminere, et accepto corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi], in quem fideliter credidit et quem tota mente dilexerat, feliciter migravit ad Dominum¹⁴ angelis currum suum vallantibus. Et hic patet circa secundum.

(1.2) 2º commendatur in verbis premissis a persone reverencia, cum dicitur „Samuel”. Nam Samuel persona fuit reverenda, quia et propheta Domini exstitit, et Dominus locutus est ei ex gratia spirituali, unde interpretatur audiens Deum. Et beatus Ladizlaus persona utique fuit¹⁵ reverenda, quia rex, qui et Deum audivit tripliciter, audivit enim:

- primo in compassione proximorum,
- 2º in rectitudine iudiciorum,
- 3º in continuacione oracionum.

(1.2.1) Primo, dico, in compassionē proximorum eis miserendo. In mente habens illud, *Luce* 6º, (36): „Estote misericordes, sicut et Pater vester celestis misericors est.” Attendens autem illud et timens, *Proverb.* 28º, (27): „Qui dat pauperi non indigebit et, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.” „Erat quippe copiosus in misericordia, larganimis in pacientia,¹⁶ pietate plenus, consolator afflictorum, sublevator oppressorum, misericordia orphanorum, pius pater omnium.”¹⁷ Unde propter nimiam pietatem, quam habebat, „mutato nomine ab omni gente sua pius rex vocabatur.”¹⁸ O quante pietatis sanctus iste fuit, cuius – ut legitur – mortem „planxit universa multitudo Hungarorum, clerus et populus continuo trium annorum spacio in vestibus lugubribus squalidi coreas non duxerunt, omne genus musicorum delimitiva dulcisona intra (!) tempus luctus¹⁹ siluerunt,”²⁰ et merito, quia ut vir esset pietatis et misericordie, cum ipso recesserunt.

(1.2.2) 2º audivit Deum in rectitudine iudiciorum attendens illud, *Sap.* 1º, (1): „Diligite iusticiam, qui iudicatis terram”, et illud, *Proverb.* 39º, (recte: 29, 14): „Rex, qui iudicat in veritate pauperes, tronus eius in eternum firmabitur.” Ipse enim esurivit et sitivit iusticiam, ut ad eternam perveniret (69v) [gloriam (cf. *Mt* 5, 6). „Et eciam in exaudiendis iudiciis non tam iudicare quam iudicari, sibique magis terribile iudicium imminere] credebat, quam hiis, qui ab eo iudicabantur. Unde et rigorem iusticie lenitate reparans misericordie, talem se misericordem erga subditos ostendit, ut ab eis plus amaretur quam timeretur,”²¹ quod utique summe decet reges et omnes presides.²²

(1.2.3) 3º audivit Deum in continuacione oracionum iuxta illud, *Luce* 22º, (46): „Orate, ne intretis in temptationem”, quasi dicat, qui non vacat oracioni, exponitur temptationi, et ideo continuus fuit in oracione. Unde: „Si nocturnis vigiliis et prolixioribus²³ oracionibus ipsum fatigari contigisset, non delicatum thorum petebat, sed in exedris ecclesiarum paululum pausabat. Cum quadam vero nocte Varadinensem ecclesiam ingressus est, ut oraret, et cubicularius quidam eius foris expectans pre nimia mora tedio affectus²⁴ surgens et introspectus vidiique dominum suum glorificato corpore sursum in aere mirabiliter elevatum.”²⁵ Iam gustaverat illud, quod dicit Apostolus ad *Philip.* 3º, (20–21) „Salvatorem exspectamus

¹⁴ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 521, 12–24 et 522, 1–9.

¹⁵ L fuit] A om.

¹⁶ L larganimis in pacientia] A largius pacientia longius

¹⁷ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 9–13

¹⁸ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 4–5.

¹⁹ L intra (!) tempus luctus] A om.

²⁰ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 11–20.

²¹ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 518, 24–519, 1.

²² L quod utique... presides] A om.

²³ L prolixioribus] A om.

²⁴ L affectus] A effectus

²⁵ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 16–520, 1.

Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformavit corpus humilitatis nostre configuratum corpori claritatis sue.” Bene fuit illuminata eius oracio, que ipsum sic elevabat et glorificaverat. Hic patet sermo 3-us.

(1.3) 3º in verbis antedictis commendatur beatus Ladizlaus a sanctitatis excellencia, cum subinfertur „**et Dominus erat cum eo**”. Notandum autem quod Dominus erat cum eo quadrupliciter:

- 1º primo per ipsum populum deficientem reficiens,
- 2º per ipsum diversa genera infirmatum sanitati restituens,
- 3º per ipsum ab impio iustum eripiens,
- 4º ipsum quoque angelico ministerio ad locum electum dirigen.

(1.3.1) Primo, dico, fuit enim [Dominus cum eo populum esurientem per ipsum reficiens. Unde apte de ipso] dici potest, *Joh.* (10, 11): „Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis per devotam dilectionem.” Beatus namque Ladizlaus animam suam posuit pro ovibus suis per devotam oracionem secundum illud, *Sap.* 18º, (21): „Properans homo sine querela deprecari pro populo, finem imposuit necessitatibus, ostendens quoniam tuus es, domine, famulus.” Unde: „Quadam vice latrunculi Bisennorum confinia Ungarorum invadentes viros ac mulieres captivos adduxerunt. Quo tempore cum exercitu persequenc venit in solitudinem magnam, ubi quid manducarent non habebant, dum fame periclitaretur exercitus, avulsus est ab eis seorsum²⁶ in oracione prostratus implorabat misericordiam Dei, ut qui quondam²⁷ filios Israel manna pluens paverat,²⁸ Christianum populum fame perire non sineret. Cumque ab oracione surgens reverteretur, ecce grex cervorum et bubalorum²⁹ obviavit³⁰ ei, et cum ipso in medium exercitum deposita feritate³¹ convenit. Tulit ergo unusquisque de animalibus quantum sibi sufficiebat laudantes et glorificantes Deum in sancto suo, per quem talem misericordiam fuerant consecuti.”³²

(1.3.2) Secundo fuit Dominus cum eo diversas infirmitates sanitati restituens. Contulit ei Dominus, quod de ipso scribitur, *Math.* 4º, (23): „Sanavit omnem languorem et omnem infirmitatem.” Multi enim „claudi, paralitici, variis languoribus oppressi ad sepulcrum eius venientes per ipsum perceperunt beneficium. In ipsa [hora] caninizacionis sue puer quidam, cui locum manuum et pedum tumida carnis (70r) [...] manuum et peduum percepit sanitatem.”³³

(1.3.3) Tercio fuit Dominus cum eo per ipsum iustum ab impio eripiens iuxta illud, (Proverb. XI, 8): „Iustus de angustia liberatus est et traditur impius pro eo.” Legitur enim, quod „ipse adhuc vivens cuidam nobili suo scutellam auream dederat, quo mortuo filius eius depauperatus cum cuidam nobili vendere vellet, ille cupiditate ductus dixit suam esse. Qui a rege Stephano, qui tunc regnabat, missi sunt episcopo Waradyensi dijudicare. Qui talem dedit sentenciam, quod scutella illa super sepulcrum sancti Ladizlai deponetur, et si vera sua esset, inde tolleret. Que sentencia affirmabitur. Cum vero tempore assignato ad sepulcrum sancti Ladizlai accederet, cecidit ille cupidus reus et calumpniator, quasi mortuus. Quo facto pauper vero miles ad sepulcrum sancti Ladyzrai humiliter accedens, quod suum erat Deo gracias agens accepit.”³⁴ O Domine Iesu, si sic omnibus calumniantibus fuerit et falsis testibus, non ita faciliter occurserent contra iustum.

(1.3.4) 4º fuit Dominus cum eo ipsum ad locum electum angelico ministerio deducens

²⁶ L seorsum] A retrosum (!)

²⁷ L qui quondam] A quidam

²⁸ L manna pluens paverat] A manna pavit in deserto

²⁹ bubalorum] L **cum glossa Hung.** bial

³⁰ L obviavit] A obcurrit

³¹ deposita feritate] L **cum glossa Hung.** kemensegeth leuetven

³² Legenda s. *Ladislai*, SRH II, 520, 5–17.

³³ Legenda s. *Ladislai*, SRH II, 525, 28–526, 14.

³⁴ Cf. Legenda s. *Ladislai*, SRH II, 524, 30–525, 7 et 32–33.

iuxta illud, *Sap.* X, (10): „Iustum deduxit Dominus per vias rectas” etc. „Dum enim post mortem suam fideles servi corpus suum Albam ferre deliberarent pro temporis gravamine. Ecce ipsis dormientibus, currus, in quo fuerit corpus sancti [positum sine vecctione alicuius animalis recto itinere Varadinum, ubi sibi sanctus sepulturam elegerat, ferebatur. Evigilantes autem, et non invenientes, contrastati valde cuperunt per loca discurrere, et invenerunt currum Varadinum ultro currentem. Videntes itaque miraculum,] quod corpus beati Ladislai ad locum, quod (!) ipse elegerat divinitus deferretur, Deo gracias agentes laudaverunt in sancto suo.”³⁵ Tunc adimpletum est illud, *Sap.* 5^{to}, (cf. 22): „Ibunt directe promissiones, ad certum locum deducent illum.” Dominus Deus noster et nos perducat ad vitam eternam. Amen.

³⁵ *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 21–523, 21.